



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VIII. De intensione per antiperistasim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

CAPVT VIII.

De intensione per anteperistatim.

55. **I**ntensio diuidi solet, in eam, quæ fit per antiperistatim, & in eam, quæ seorsim ab illa exercetur. Porro qualitas aliqua per antiperistatim, siue circumobstentiam producta, & intensior facta, aut est connaturalis subiecto, vt cum æstate calidissimis solibus omnia vsultante, aquæ tamen fontium, ac puteorum frigidiores redduntur: aut huiusmodi qualitas subiecto suo præternaturalis est, vt cum eadem aquæ, hyemali frigore vndique obsessæ tepescunt, & calorem concipiunt. Prior intensio qualitatis est ab intrinseco: quia, cum frigiditas aquæ ad sui conseruationem naturalem quandam inclinationem habet, non est mirum, quod qualitate contraria, calore scilicet, circumcirca oppugnata, hoc ipso se se intendat, & crescente causa sui interitus, arma ad se tuendam sibi prouideat, nouosque frigiditatis gradus in societatem certaminis ac periculi adsciscat. Posterior vero intensio est ab extrinseco: quia interiores telluris partes hyemali frigore compressa exhalationes calidas poris suis inclusas exprimunt, & in aquas fontanas, atque puteales effundunt.

56. Hæc quamuis ita communiter explicari soleant: aliter tamen ab aliquibus explicantur. Quod etiam ad priorem antiperistatim attinet, Marfilius 1. de generat. quest. 18. Venetus, & alij docent, aquas subterraneas æstiuo tempore supra modum frigescere, non quod præuia earum, ac natua frigiditas se se immediate augeat, & intendat, sed quod species intentionales vsque ad circumstans contrarium, ambiensque calidum emittat, quæ ab eo reuerberatæ, & ad subiectum, vnde exeunt, reuersæ vberiore illi frigiditatem iniiciunt. Contra tamen arguo: quia: vt species impressa hominis hominem non producit, non conspicio, qui fieri possit, vt species frigiditatis frigiditatem producat: præsertim, cum vnaquæque species ad obiecti sui representationem, non verò effectiorem primario instituta sit. Secundò quia falso supponitur, species impressas frigiditatis ab ea in distans effunditalias aquam frigidam à nobis procul positam sentire possemus.

57. Quod vero attinet ad posteriorem antiperistatim, non pauci cum Galeno lib. 3. de simpl. medicamentis cap. 3. docent, aquam puteorum, ac fontium brumali tempore reipsa calidissimam non esse; esto ob frigus sensiterij valde calida nobis appareat: haud aliter ac in thermis è contrariò vsuuenit, vbi si quis aquam tepidam ac modicè calidam basio illaram tangat, eam frigidam arbitrabitur. Contra tamen argumentor: quia si quis valde calidus existens aquas subterraneas tangat, calidas eas experietur: at non ob frigus sensiterij: ergo ob realem, & veram frigiditatem ipsarum aquarum. Adde, quod eiusmodi aquæ hyemali tempore fumant, calidumque halitum, ac vaporem expirant: quod, nisi re ipsa nimis calefcerent, fieri non posset.

58. Alij verò admittunt, aquas subterraneas bru-

mali tempore reipsa supra modum calefieri, non tamen ab extrinseco, sicut nos supra edocuimus; sed ab intrinseco: eò videlicet quod calor valde remissus earum aquarum sese intendat, nouosque caloris gradus producat: haud aliter ac earum frigiditas æstiuo tempore per antiperistatim se se intendit. In contrarium tamen est, quod aqua summè frigida, ac proinde omnis caloris expers hyemali tempore paulatim incalcescit, summoque illo frigiditatis gradu deiicitur: at non vi alicuius caloris remissi, cum nullus præcesserit. Deinde, esto calor aliquis remissus in aqua præcederet, non esset cur ille se per antiperistatim intenderet: frigiditas enim excellens, cui in eodem subiecto commixtus est, eius vim retunderet, maiusque ad intensiorem, sui que augmentum ius, quam calor haberet.

CAPVT IX.

De intensione per reactionem.

59. **A**gentia naturalia qualitates intensas non solum agere, sed etiam redigere tum plerorumque philosophorum consensus, tum etiam ipsa experientia suadet: vt enim aliis exemplis supersedeam, si quis lapidem frigidum apprehendat manu, & manus sensim frigescat, & lapis incalcescat. Qui tamen oppositum tueretur, opponunt primò. Calidum, & frigidum aut sunt æqualis intensiõis, aut inæqualis: si æqualis, neutrum qualitate sua alterum ex toto aut ex parte priuabit: quemadmodum, si duo homines æqualium virium in porta aliqua concurrant, & vnus ingredi, alius egredi nitatur; neuter alterum loco deiiciet: at si calidum, & frigidum reagerent alterutrum qualitatis suæ diminutionem ab altero pateretur. Quod si sint inæqualis intensiõis, solum illud agens, quod intensiori ac fortiori qualitate præditum fuerit, in alterum aget, vt per se constat, & communis illa parçemia significat: *Actio non procedit nisi à proportionem maioris inæqualitatis.*

60. Respondeo tamen, siue agentia contraria æqualia sint, seu inæqualia, reactionis capacia esse. Exemplum autem duorum de loco congradientium parum vrget: siquidem tunc etiam datur reactio: & quamuis neuter alterum de loco deturberet, tamen per mutuum, & contrarium impulsu vnus alium priuat illo impulsu, quo se in alterius locum propellit. Proloquium verò oppositum non de contrariis; sed de similibus procedit; elusque sensus est, fieri non posse, vt cum duo sunt omnino similia in aliqua qualitate, in eaque nullam habent inæqualitatem, alterum tamen in alterum agat, atque illud intendat.

61. Opponunt secundò: cum ignis verbi gratia lignum calefacit vt octo, illudque ad formam ignis vltimo disponit, non potest lignum in eo instanti reagere in ignem, eumve infrigidare, & vi frigoris eius calorem imminuere: aliàs ignis non esset summè calidus siue calidus vt octo, ac proinde ligno calorem vt octo impertire non posset. Respondeo et si reactio in principio congressus detur, non tamen semper durat: quare, cum quis